Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31258
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

ideo non proficimus in contemplacione quia quod hodie cum diffi-
cultate et gracia dei acquirimus cras ingerendo nos levi-
tatibus et fabulis et voluptatibus perdimus Et sic de ascen-
su montis ad vallem prolabimur et non conti-
nuamus

Christo ut ei nichil preponas ille sit adiutor tuus protector
director et finis Et quia presens scriptum quod per singula capitula
secundum ordinem alphabeti clausulas suas ponit ut fa-
cilius retineri possint in memoria Et hic est liber de a-
more dei ideo placuit ut vocetur alphabetarium divini
amoris Qui hoc legerit oret pro ordine Carthusiensium
ex quorum fonte hoc procedit Item et exoret et pro omni
ordine et statu sancte matris ecclesie katholice Christum dominum
qui per institucione Carthusiensium in solitudine degencium
et pro dono huius libelli sit nunc et semper in secula be-
nedictus Amen

De penitentia ex tractatu Nicolai Dinkelspuchel

Nota duplex est penitentia scilicet sacramentalis
sive sacramentum penitentie quod principaliter consistit
in absolucione confitentis facta a sacerdote sub
debita forma verborum Alia est penitentia virtus
de qua non tota ad presens sed de actu eius
qui dicitur penitentia actualis sive actus penitendi Et
est punicio voluntaria peccati a se commissi sibi displicentis
finaliter propter deum Et penitentia utroque modo sumpta aliquo
modo est necessaria ad remissionem peccati mortalis post baptisma
commissi quia regulariter nullum mortale post baptismum
dimittitur sine actu penitendi de eo Est enim ut ait
Jeronimus secunda tabula post naufragium quod naufragium
prima scilicet tabula sacramenti baptismi tollit Secundam enim
tabulam sacramentum penitentie minores dicunt quia baptismus